

tatemque censui postposuisse fratrem extraneo. Tecum hactenus michi nil cure fuit omnino, ut expolitis vel aliter compositis verbis blandirer. Et in hoc falli potui, quia dum veritatem et ius dumtaxat intenderem apud te, cetera supersticiosa putavi. Hinc miror ut admodum virtus tua eo usque dormitet, quo exprobare, ultionis vilissimum genus, animum tibi contaminet. Grande fateor fuit obsequium, sed si sensum evolveris profecto quam licuerit, longe minus ita fari te decuit. Si leto eripuisses, si redemisses captivum; ego pro exicio tuo, pro captivitate fuissem sollicitus, arguere moderatius debuisses. Sic cogit iracondie calcar, ut dicere sic tibi libuerit. Sed et ego facilius perpeti possum, dum presertim hoc metior, quam diro, ut audio, stimulo emula tua fortuna impresentiarum te premat, sic et remissius tibi respondeo, sortis misertus tam pertinacis et impie. Denique sive tepidus, sive amicus fueris nullus omnino, hoc de me scito, quia de te quod semel volui, statui velle perpetuo. Vale.

Bernardus de Casalortio semper tuus ut decuit.

Dat. Tarvisii die primo septembris [1367].

9.

Epistola domini Pauli de Bernardo responsiva ad precedentem ^{a)}.

[Vat. c. 107 v; Vi. c. 342 v; M. c. 186; L. c. 102].

Neutrum, amice, ex his que digeris fuit michi cordi, testis est Deus, nec quemquam pro me eici volui sede sua, neque externum preferri germano, siquidem nunquam fuit michi ea mens, qualiscunque fuerit extremitas mea, ut cum aliena iactura, sublimen optaverim fieri statum meum; neque adeo insensatus sum, ut honestum iudicem iura pietatis cedere amoris privato. Sed cum ad remotiores partes iter arriperes, ego ut explorarem a te quod senseram ab amico, qui certe eam fidem tenuit, ut omnia secreta comunia essent nobis, nec credidit divulgatum de te quod cognitum esset

²⁵ ut] et *cod.*

^{a)} Cfr. a pagg. 76, 96, 145, 151, 159, 160.

¹ Eidem, *Vi. M. L.*